

XXVI, 33) solus promisit, ceteris nec semel negantibus, ter solus negavit. Et tamen bono unitatis, de numero Apostolorum separari non meruit... Interclusa est malitiae via, ne Apostoli animo licentiam iudicandi conciperent, et severe contemnerent eum qui negaverat Christum. Stant tot innocentes, et peccator accipit claves ut unitatis negotium formaretur. Provisum est ut peccator aperiret innocentibus, ne innocentes clauderent contra peccatores. » Quae vero fuerit Apostolorum subordinatio Petro docet L. II: « Negare non potes scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, unde et Cephas appellatus est (videntur quidam veteres Cephas a $\kappa\epsilon\phi\alpha\lambda\eta$ deductum putasse), in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, *ne ceteri Apostoli singulas sibi quique defenderent, ut iam schismaticus (etiam Apostolus) et peccator esset, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.* » Stephanus Dorensis in libello oblato Martino I: « Citra dubitationem claves regni caelorum creditae sunt Petro, ac ipse *unus* magnus secundum veritatem et *princeps Apostolorum* ad aperiendum claudendumque illas promeruit. » Bernardus de Consid. L. III, c. 8. alloquitur Eugenium III Rom. Pontif.: « Tu princeps Episcoporum, *tu es cui claves traditae*, cui oves commissae sunt. Sunt quidem et alii caeli ianitores, et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto et differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi adsignatos greges, singuli singulos, *tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium sed et pastorum tu unus omnium pastor.* » Ceterum nihil est quod magis Ecclesiae sensum manifestet quam emblemata illud, quo repraesentari solet Petrus, claves nempe quas manu tenet; hoc vero emblemate, quod nunquam alteri Apostolo conceditur, praerogativa propria Petri, eiusque specialis dignitas ob oculos ponitur.

Adverte non infrequenter occurrere penes Patres Scriptoresque ecclesiasticos ipsamque sacram liturgiam eam paraphrasim clavium traditarum Petro, ut propter eas dicatur *caeli ianitor, aperire terris caelum, apertum claudere*. Haec porro explicatio non excludit eam quam dedimus, imo eam supponit et ab ea pendet. Cum enim Ecclesia eo spectet ut adducat homines in caelum, potestas Ecclesiam regens *finaliter* quidem considerata eo tandem pertinet universa ut aperiat hominibus caelum, claudat autem indignis, eos ab Ecclesia vel a participatione sacramentorum repellendo: *formaliter* vero spectata prout est potestas remittendi et retinendi peccata, quae potestas est pars potestatis clavium, solvendi et ligandi, eo per se pertinet immediate ut aperiat poenitentibus caelum, sive caelo eos dignos efficiat gratia remissionis concessa: indignisque claudat, gratia remissionis eis negata.

XV. Interpretationi, quam hactenus defendimus, non refragatur commentarius illorum Patrum, qui post exortas haereses Montanistarum et Novatianorum contendebant claves Ecclesiae in Petro traditas esse, ut Augustinus Tract. ult. in Ioan: « Cuius Ecclesiae Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat figurata generalitate personam... quando dictum est ei: tibi dabo claves, universam repraesentabat Ecclesiam. » Etenim considerandum est 1) hanc interpretationem occasione earum haeresum usurpatam fuisse: 2) eos haereticos, qui negabant potestatem esse in Ecclesia remittendi peccata, docuisse claves datas soli Petro ut privata persona erat, easque cum eo desiisse: 3) Patres propterea e contrario contendisse a) potestatem ligandi et solvendi, remittendi et retinendi peccata (de qua potestate quaestio erat tantum) non soli Petro datam esse, quod ex Matth. XVIII. et Ioan. XX. probabant: b) Petro claves et Apostolis omnibus potestatem ligandi et solvendi, remittendi et retinendi peccata datas esse in bonum Ecclesiae, ideoque eam in Petro et Apostolis datam esse successoribus eorum; hoc est enim eam in Ecclesia semper perseverare: igitur non defecisse cum Petro et Apostolis eam potestatem, sed eam in Ecclesia iugiter perseverare, quatenus derivatur in successores eorum. Datae sunt ergo Claves Ecclesiae, quia eae datae sunt Petro et successoribus suis; potestas ligandi et solvendi data est Ecclesiae, quia data est Apostolis omnibus, eorumque successoribus, qui constituunt Ecclesiam regentem, quique ea potestate utuntur in bonum totius Ecclesiae. Hic est sensus Patrum. Quare si spectas terminum propter quem ea potestas data est, is est universitas fidelium: si vero consideras subiectum inhaesionis, potestas ea data est *universae Ecclesiae regenti*, quae Petro et Apostolis eorumque successoribus continetur. Id porro quin adversetur communi interpretationi, eam confirmat.

Cum ergo dicitur Petrus accipiens claves repraesentasse Ecclesiam, cogitanda est *repraesentatio iuridica*, qua successores suos semper futuros in Ecclesia, ipsamque Ecclesiam cuius caput constitutebatur repraesentabat Petrus. Repraesentatio enim iuridica totius societatis propria est illius, qui caput est societatis, qui cum talis constituitur et potestate augetur, eam pro suis quoque successoribus accipit, et accipit in bonum societatis, et ut eam, si opus est, ex parte inferioribus ministris communicet; unde cum ipse ut *persona iuridica* auctoritatem accipit, eam universa societas vel praesens vel exstitura, in suo capite accipere intelligitur, sed habendam et exercendam a suo capite quod in successoribus perseverat. Repraesentatio vero quaedam symbolica, qua simpliciter signum substituitur

rei signatae, aliena est prorsus ab hoc loco, ut universa analysis hactenus effecta demonstrat.

Quocirca obiicientibus ex Patrum doctrina Petrum accipiendo claves repraesentasse Ecclesiam, reponendum est cum distinctione: repraesentavit suos successores quibus semper regenda esset Ecclesia, *conc.* repraesentavit universam Ecclesiam, *subd.* tanquam eam in cuius bonum accipiebat claves, *conc.* tanquam eam quae subiectum esset potestatis clavium, *subd.* subiectum ratione sui, *neg.* ratione sui capitis quod immediate a Christo instructum est hac potestate, *conc.*

Petrus vero constitutus Ecclesiae caput, auctus suprema potestate, quae ex parte plus minus ab inferioribus quoque participanda erat, constitutus est hoc ipso *typus et exemplar* pastorum omnium in Ecclesia; « cunctis, scilicet, Ecclesiae rectoribus Petri forma praepositur (al. proponitur) » (S. Leo. Serm. IV. assump. suae): prout quod est primum in aliquo genere est norma ceterorum: ideoque non vacuus typus sine realitate, sed typus plenus et efficax effectus est.

Quapropter sensu hoc typico ac iuridico dici potest potestatem clavium (Matth. XVI, 19.) collatam esse in Petro ceteris Apostolis et Ecclesiae. At hic sensus est ne immediatus an mediatu? Multiplex haec quaestio fieri potest. Si enim cum dicitur *Ecclesia*, intelligitur ipsa prout est obiectum finale in cuius bonum data est potestas, et in qua est exercenda, tunc ea potest dici verbis Christi immediate significata tum *verbaliter*, tum *realiter* (cf. superius dicta p. 253 seq.). *Verbaliter* quidem verbis *Regni caelorum*; *realiter*, eo quod in ipso conceptu iurisdictionis contineatur terminus eius, qui est societas aliqua, sine qua illa concipi nequit. Si vero cum dicitur *Ecclesia* intelligitur ea quae potestatem exercet, quae est *Ecclesia regens*, quaeque Apostolis eorumque successoribus continetur; tunc rursus distinguendum est: si enim intelligas successores Petri, concedendum est ad eos immediate verba Christi spectare: dicta sunt enim petrae Ecclesiae firmatae et stabili, in perpetuum duraturae, contra quam nunquam portae inferi praevalent. Si autem intelligas Apostolos ceteros, eorumque successores, sensus tantum mediatu dici potest ille, quo intelligitur iis in Petro verbis Christi Matth. XVI. factam esse potestatem clavium. Etenim ex iis verbis hoc tantum habes: uni Petro distincto a ceteris collatam esse potestatem clavium in universam Ecclesiam: quare 1) ceteri Apostoli a paritate potestatis directe excluduntur, cum et ipsi subiiciantur Petro. Quod autem 2) ipsi eorumque successores acceperint in Petro participationem quamdam potestatis collatae Petro, id ex verbis Christi eatenus colligis, quatenus aliunde scis Apostolos eorumque successores vocatos et ipsos esse a Christo in partem sollicitudinis cum Petro, ideoque eos tan-

quam particeps suae potestatis Petrum repraesentasse: sensus vero, qui adhibito termino medio extunditur, est sensus mediatu.

Coroll. I. Ergo praerogativae Petro promissae his verbis Christi contentae huc redeunt ut ipse sit petra Ecclesiae, principium efficax unitatis et stabilitatis eiusdem; ut ex cohaesione sua cum hac petra Ecclesia firmitatem suam contra haereses et schismata ceterosque impetus inferni nanciscatur: ut Petrus supremam sub Christo potestatem in Ecclesia obtineat, summumque ius ligandi et solvendi quaecumque ad bonum Ecclesiae regimen conducant. Hic autem est primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam; ergo promissus est Petro huiusmodi primatus.

Coroll. II. Ergo *immediate et directe* b. Petro promissus est primatus. Ut enim ex universa demonstratione constat, verba Christi continentia hanc promissionem: *Tu es Petrus, super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dabo claves... quodcumque ligaveris etc.* non ad omnes Apostolos simul, non ad Ecclesiam, quae imo aedificanda erat supra Petram, non proinde ad Petrum prout Ecclesiae aut Apostolorum quandam figuram gereret iis veluti a Christo substitutus, dicta sunt, sed ad unam personam Petri dicta sunt distinctam a ceteris Apostolis et cetera Ecclesia, qui non ex delegatione, sed suo nomine confessionem ediderat, cui iam singulariter *Cephae* nomen inditum fuerat, qui in hoc sermone Christi singulariter semper appellatur: ipse autem Christus non ex consensu, vel supposito consensu subditorum, sed ex sua suprema et divina auctoritate supremoque dominio Ecclesiam suam super Petrum voluit aedificare, ipsique claves suas vicaria potestate committere.

III. Ergo et Apostoli super Petrum fundati sunt, eiusque potestati clavium obnoxii. Neque dicas Apostolos iam fuisse vocatos, antequam Petro haec dicerentur, et idcirco iam in Christo fundatos; quare non amplius egebant fundamento Petro. Nam duplex distinguendus est status Ecclesiae; prior cum Christus caput eius visibile exstitit in terris; alter post Christum in caelos sublatum. In primo statu Ecclesia ex paucis fidelibus collecta una erat propter immediatam singulorum subiectionem Christo, penes quem unum erat tota potestas. At providendum erat unitati corporis visibilis Ecclesiae, cum Christus e terris excessisset. Pro hoc statu proinde Christus hierarchiam instituit, potestatem suam Apostolis communicans perpetuo mansuram; atque inter Apostolos unum elegit, qui primas teneret, qui principium esset efficax unitatis, cui claves habenti omnes subiicerentur. Huic proinde vices gerenti suas non tantum futuros credentes, sed eos qui iam crediderant et sibi adhaerebant, subditos esse voluit, ut Ecclesia quae una esse sub ipso caeperat, et una esse per-

geret sub Petro. Petrus ergo non fuit fundamentum Apostolorum, nec pro ipsis habuit claves ut eos ad fidem et Ecclesiam atque ad Christum vocaret; sed fuit fundamentum eorundem, habuitque claves pro ipsis quatenus recedente Christo Petrus loco eius caput Ecclesiae exstitit, principium unitatis eorundem, suprema potestate etiam in ipsos auctus.

Porro ex animadversione modo facta intelliges quid Christus adsignificavit cum *in futuro* dixit *aedificabo Ecclesiam meam*. Non enim voluit dicere suam Ecclesiam eo tempore, quo loquebatur, nullo modo esse; sed statum alium eiusdem futurum adsignificavit, in quo non amplius sibi soli invisibili fundamento sed et secundo ac visibili fundamento inniteretur, et ab eodem vicaria Christi potestate regeretur.

XVI. Declarandus restat locus quidam Cypriani de Unitate Ecclesiae, qui mentione praemissa haeresum et schismatum, causam eorum enarraturus pergit: « Hoc eo fit dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quaeritur, nec magistri caelestis doctrina servatur. Quae si quis consideret et examinet, tractatu longo atque argumentis opus non est. Loquitur Dominus ad Petrum: Et ego dico tibi... soluta et in caelis. Et iterum eidem post resurrectionem suam dicit: Pasce oves meas. Super illum unum aedificat Ecclesiam suam, et illi pascendas mandat oves suas. Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat Ioan. XX, 21. Accipite Spiritum S. etc., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli quod fuit Petrus pari consortio praediti et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur (1) et Primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia et Cathedra una monstretur. » Cyprianus quoad Petrum duo advertit: 1) quod primum ipsi uni collata est potestas, deinde ceteris: *exordium ab unitate proficiscitur*: 2) quod Petro *datus est Primatus*. Id vero factum ideo esse docet, *ut unitas manifestaretur, ut Ecclesia una et cathedra una monstretur*. Atqui his notio primatus iurisdictionis continetur. Sane verba ea *ut unitas manifestaretur, ut cathedra una monstretur*, non ita sunt intelligenda ut in Petro fuerit tantum ostensio unitatis, sive ipse sumptus fuerit tantum typus quidam unitatis Ecclesiae, sed ita accipienda ut Petrus ita sit typus ut sit etiam auctoritate sua principium efficiens unitatis. Scilicet ea

(1) Quae sequuntur verba expuncta sunt in quibusdam editionibus anglis et a Baluzio, quia fide multorum codicum destituta. Verum et in pluribus aliis reperiuntur, et sec. VI a Pelagio II citantur in epistola ad Episcopos Istriae, eaque legisse videtur Hieronymus L. I adv. Iovinianum; atque cohaerent prorsus cum doctrina et heic et alibi tradita a Cypriano.

verba *ut unitas manifestaretur, ut Ecclesia una et cathedra una monstretur* tantumdem valent ac si diceretur: ut manifestum esset unitatem, ideoque et cathedram unam ex Christi institutione in Ecclesia esse debere, quae cathedra iurisdictione suprema potiatur ad efficiendam unitatem. Etenim 1° quod hic sit sensus nempe *ut manifestum esset debere esse unam cathedram in Ecclesia*, liquet consideranti ea verba: *ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur*; nam unitas Ecclesiae realis est, eamque Christus voluit: verba ergo *ut una Christi Ecclesia monstretur* significant *ut una sit Ecclesia*, vel ut Christus demonstret se velle quod una sit Ecclesia sua. Pariter ergo et verba in eodem contextu: *et cathedra una monstretur* significant ut una sit Cathedra in Ecclesia, sive ut Christus ostendat se velle unam Cathedram in Ecclesia. Illis porro verbis paria sunt praecedentia: *ut unitatem manifestaret*, quae proinde eodem modo accipienda. 2° Quod autem cathedra haec, quae est cathedra Primatus, potiatur suprema iurisdictione ad efficiendam unitatem e sententia Cypriani patet ex iis quae hoc ipso in loco docet. Ait enim *originem unitatis* (utique Ecclesiae) *ab uno* h. e. Petro *incipere*: ab eo nimirum esse ut postea subdit *exordium unitatis*. A Petro ergo est origo unitatis Ecclesiae; atqui in societate principium unitatis non est nisi iurisdictione suprema: ergo auctore Cypriano Petrus auctus est a Christo suprema iurisdictione. Rursus ait *super unum Petrum aedificatam esse Ecclesiam*, vel ut paulo inferius inquit: *super cathedram Petri fundatam esse Ecclesiam, Petro commissas esse pascendas oves suas a Christo*, et ibidem paulo post, *qui cathedram Petri deserit, in Ecclesia non esse*. Atqui haec omnia sonant primatum iurisdictionis. Nam si Ecclesia fundata est supra Petrum, pendet ergo necessario a Petro ut sit et perseveret: societas autem non nisi ab auctoritate iurisdictionis qua regitur necessariam dependentiam habet ut sit et perseveret. Tum cathedra in Ecclesia iuxta Cyprianum est sedes eorum, qui praesunt potestate (epist. LXV. ad Rogatianum), sive est ipsa auctoritas regens; pastores in Ecclesia principes sunt auctoritate regiminis (epist. XXVII. ad Lapsos): cathedra proinde illa una supra quam tota Ecclesia fundata est, et quam qui deserit ab Ecclesia eo ipso recedit, est cathedra supremi regiminis, supremaeque potestatis: est enim auctoritas una, cui tota Ecclesia subest. Primatus ergo quem Cyprianus asserit Petro est primatus iurisdictionis in universam Ecclesiam. Sententiam Cypriani expressit Pacianus epist. III. ad Sympron.: « Ipso referente Matthaeo paulo superius ad Petrum locutus est Dominus, ad unum ideo *ut unitatem formaret ex uno*: mox idipsum (Matth. XVIII.) in commune disposuit: » atque Hieronymus cont.

Iovin. L. II. « Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio. »

Quo ergo spectant verba, quibus asseritur hoc fuisse Apostolos quod et Petrus et pari eos fuisse praeditos consortio honoris et potestatis? Respondemus ipsa ita esse accipienda ut componantur cum iis, quibus Primatus iurisdictionis Petro vindicatur. Itaque vel referuntur ad tempus praecedens institutionem Primatus; vel si ad subsequens quoque tempus alludunt, de dignitate simpliciter Apostolica loquuntur, quae omnibus communis erat. Fuerunt nempe pares Petro ceteri Apostoli in dignitate et iuribus Apostolatus, sub qua communi appellatione omnes ex aequo censentur: sed Petrus praeterea fuit caput, vertex, princeps Apostolorum, Primatum iurisdictionis in Ecclesia tenens; in quo primatu consortem non habuit: « Connexio enim (ait Leo epist. XIV ad Anastasium Thessal. c. 11.) totius corporis unam sanitatem, unam pulcritudinem facit; et haec quidem connexio totius corporis unanimatem requirit, sed praecipue exigit concordiam sacerdotum, quibus etsi dignitas sit communis, non est tamen ordo generalis (non eodem scilicet ordine censentur, sed subordinatio inter eos existit) quoniam et inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis, et quum omnium par esset electio, uni tantum datum est ut ceteris praeemineret. » Ceterum de inaequalitate Petri et Apostolorum, spectatis quoque eorum charismatis extraordinariis, dicemus commodius postea Th. VI.

Quaeri potest utrum Petrus ceterique Apostoli assecuti sint sensum verborum, quae Christus dixit Petro: videntur enim etiam postea ignorasse quis eorum esset maior Marci IX, 33; Luc. IX, 46; XXII, 44. Respondeo quod cum ageretur de re non tunc sed in posterum implenda, non erat opus ut tunc intelligeretur distincte sensus verborum Christi (cf. Ioan. II, 22). Contentio vero Apostolorum de primatu vel probat quod Apostoli non intellexerint clare et distincte, vel quod non intellexerint promissionem Petro factam esse absolutam, quod postea certe compertum est. Imo ipsa contentio suadet aliquo modo saltem intellecta fuisse verba Christi; occasio enim videtur fuisse quod cognoverint Apostoli aliquem inter eos futurum caput eorum: et viderint quosdam ex eis a Christo specialibus amoris significationibus ceteris praeferrere.

THESIS II.

Verbis Christi Luc. XXII, 31. 32. divina promissio continetur infallibilis magisterii Petri eidemque divinitus commissi muneris confirmandi fratres.

I. Ait Dr. Langen (op. cit. P. 1^a pag. 16.) convenire inter infallibilistas quod hoc in loco Christus terminis propriis expresserit, quod metaphoricis penes Matthaeum ab eodem Christo promissum est, ac apud Ioannem Petro tandem collatum. Quocirca colligit omnem quaestionem pendere a recta interpretatione huius loci. Verum turpiter errat ipse aut sponte decipit lectores. Nam primo quidem non ea est catholicorum sententia ut tantumdem penes Lucam dicatur licet diverso modo ac apud Matthaeum; ex Luca enim praerogativam infallibilis magisterii Petri, ac muneris confirmandi fratres in fide colligunt catholici; ex Matthaeo vero praeter hanc alias potissimas praerogativas Petri iidem deducunt. Deinde non ea est catholicorum mens, quod Doctor iste supponit, ut interpretatio verborum Christi penes Matthaeum etiam quoad praerogativam infallibilitatis certa non sit, nisi certum quoque sit praerogativam istam verbis Christi apud Lucam significari. Interpretatio enim verborum Matthaei independens est prorsus sibique constans praecisione prorsus facta a verbis Lucae. Quapropter falsum est manifeste omnem controversiam circa Primatum Petri eiusque infallibilitatem pendere ex interpretatione verborum Christi apud Lucam. His praemissis accedamus ad enarrationem horum verborum.

Dubitatum quidem est olim vel etiam a quibusdam negatum verba Lucae XXII, 31. referri ad Primatum Petri: dubitationem omnem pro catholicis sustulit Conc. Vat. Sess. IV, cp. 4. inquit: « Pontificum Romanorum apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt, plenissime scientes hanc S. Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: Ergo rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Quaestio duplex dirimenda est 1) utrum verba Christi ad solum Petrum referantur; 2) utrum specialis praerogativa prae ceteris ei fuerit collata, et quanam ea sit.

II. Verba Christi ad unam personam Petri referuntur. Sane a) contentione orta inter Apostolos, Luc. XII, 24. seqq. quis eorum videretur esse maior, refert Lucas primum Christum omnes esse allocutum: Dixit autem eis: Reges gentium etc. qua priori parte ser-